

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

DE GUALTERO HADDONO MAGISTRO LIBELLORUM SUPPLICUM SERENISSIMAE ANGLIAE REGINAE.

I_1 v.1 Frustra senectam, Haddone, provocas meam
 2 laeta ad juventae munia
 3 Musasque longo desides silentio
 4 arenam in antiquam vocas.
 5 Aetas choreis cum vigebat aptior,
 6 et lusibus decentior,
 7 vix me in Britannis montibus natum, et solo
 8 inerudito et saeculo,
 9 rarae audiebant, rarae adibant fontium
 10 deae sacrorum praesides.
 11 Nunc, cum capillis sparserit canentibus
 12 declivis aetas tempora,
 13 cum pulset annus paene sexagesimus,
 14 animique langueat vigor,
 15 surdus roganti Phoebus aurem denegat,
 16 Musae vocantem negligunt.
 17 Nec Phyllidis me nunc juvat flavam comam
 18 praeferre Bacchi crinibus,
 19 nec in Neaerae perfidam superbiam
 20 saevos iampos stringere.
 21 Nec si quis olim stimulus ingenio additus
 22 animum excitabat languidum.
 23 Sed, missionem cum senecta flagitet
 24 justam, valetudo imperet,
 25 libens quiesco, et acquiesco legibus
 26 pejoris aevi aheneis :
 27 tibi que, cui fors liberali dextera
 28 opes, honores, otium,
 29 natura mentem vegeto adhuc in corpore
 30 diviniorem indulserit,
 31 applaudo, solum quod queo, magno gradu
 32 Parnassi ad alta culmina
 33 felicior aetate eunti et alite,

34 et enthea vi pectoris.
 35 Nam si quid olim effeta mens felicius
 36 nunc temere fundat, id Deae,
 37 cui nostra Musa dedicata est, debeo
 38 non viribus mei ingenii.
 39 Haec est Thalia nostra, nostri pectinis
 40 haec est magistra et arbitra,
 41 quae sola Phoebos digna cantat, et cani
 42 est digna Phoebos barbitos,
 43 aut alia, si qua barbitos Phoebos parem,
 44 nostrae deae aequat barbitos.
 45 Quod si dearum utrimque mentes copulet
 46 amica vis concordiae,
 47 sermone qui nunc vix pedestri repo humi,
 48 plebeia fingens carmina,
 49 arcana rupis Delphicae silentia,
 50 situque longo squalidos
 51 tripodas movebo, et masculp dicam sono
 52 jucunda pacis otia :
 53 dicam Gradivum vinculis coercitum,
 54 legum coactam injuriam
 55 parere frenis, vim repressam et aurei
 56 beata saeculi commoda.
 57 Et nostra si quid audiendum vox dabit,
 58 laudi dearum serviet,
 59 virtute quarum pax agris Britanniae,
 60 urbes fides, fora aequitas,
 61 et templa pietas, impiis erroribus
 62 procul relegatis, colet.

IN LEONORAM.

I_2 v.1 Matre impudica filia impudicior,
 2 et lena mater filiae,
 3 vos me putastis esse ludumque et jocum,
 4 o scorta triobolaria,
 5 sacrificulorum pauperum fastidia
 6 relictas mendicabulis ?
 7 Vos ne videret gurgites, ne pasceret,
 8 vir filiae usque ad ultimos
 9 profugit Indos ; nec viae longinquitas,
 10 nec nota feritas gentium,
 11 nec belluosi rapida saevities freti
 12 ab instituto terruit ;
 13 nullum periculum, nulla monstri est vastitas
 14 quam perpeti non maluit,
 15 quam vos videre duplicas voragines
 16 famae reique prodigas ;
 17 externa potius arma, quam domesticam
 18 vult ferre turpitudinem.
 19 Ergo solutis liberata vinculis
 20 libido et helluatio
 21 coepere paribus arma ferre viribus,
 22 invicta pariter utraque ;
 23 pariter voraces, pariter insatiabiles,

24 pestesque morum compares.
 25 Nec alba sparsis saxa Sirenum ossibus
 26 tot perdidere naufragos,
 27 nec quae Sicanas obsident angustias
 28 Scylla et Charybdis, quot bonis
 29 vos exuistis, vos Bonimbricae scholae
 30 scopuli, juventutis lues,
 31 barathrum populi, busta famae, opprobrium
 32 et dedecus viciniaie.
 33 Qua spe superbae furitis aut fiducia,
 34 prostibula plebis infamae ?
 35 Quas nunc egestas, mox egestatis malis
 36 urgebit acrior fames,
 37 cum pretia vestri, aetate quamvis integra,
 38 ventrem voracem non alant,
 39 cum corporis totius infamis labor
 40 unam gulam non expleat,
 41 nec compararit digna quae saltem foret
 42 vili supellex fornice.
 43 Ergo ruentem quae refulciat domum
 44 neptem parentis artibus
 45 instruite, et aviae, quae brevi cadavera
 46 effeta quaestu vos alat.
 47 Lucro tenello adsuescat aevo. Lubrica
 48 Leonora, fugiunt tempora.
 49 Jam jam senectus verticem tinget comis
 50 canis, rubebunt lumina,
 51 rugosa facies respuet tectoria
 52 hiulca sulcis grandibus,
 53 declivis aetas pendulas solvet genas,
 54 rubigo dentes atteret.
 55 Quae nunc misella aetatis in flexu jaces,
 56 inopique Monacho nauseae es,
 57 pertusa nautis, et coquis, et servulis,
 58 ad omnium usque taedium,
 59 cui in tegete vili vilius quod vendere
 60 quam te queas, nil suppetit :
 61 quo nuditatem, quo famem pelles modo,
 62 et solis aestum, et frigora ?
 63 Cum te coquorum turba jam spernat salax,
 64 cum servuli fastidiant.
 65 Nempe unde quaestum es auspicata improsperum,
 66 eo revertendum est tibi.
 67 Mendica Fratrum amica mendicantium
 68 te adscribe rursus in gregem.

AD EANDEM.

I_3 v.1 Utrusque juris carniūque et piscium
 2 Leonora docta, dic rogo,
 3 quo jure sese condiit noster coquus ?
 4 Ut unus, e tot millibus
 5 juvenum unus, inquam, placeat et sapiat tibi ?
 6 Non ille genere nobilis,
 7 formave gratus, aut dicax facetiis,

8 cultusve doctis artibus,
 9 sed qui subulcus melior asset, quam coquus,
 10 aut nauta certe, aut bajulus.
 11 Quod si coquus te caperet unus, id tamen
 12 ferrem, licet cum nausea ;
 13 sed quod coquorum cumque perviciniam est
 14 insano amore deperis.
 15 Praefers juventae nobili obscurum coquum,
 16 diti anteponis pauperem :
 17 foedum decoris, sordidum lautis, hero
 18 servum, facetis rusticum ;
 19 ut et parentem filiae credam tuae
 20 coquum fuisse Fratribus.
 21 Quo te veneno lixa, coquus, aquarius
 22 cepere ? Quae juri suo
 23 admiscuere philtra ? Quaeve Thessalis
 24 collecta silvis gramina ?
 25 Ut hunc furorem nulla tollant pharmaca,
 26 nec ulla matris carmina,
 27 matris peritae detrahere Lunam polo,
 28 diem tenebris condere,
 29 et e sepulchris ossa legere, et funera
 30 truncare vixdum fridida.
 31 Quid hoc veneni est ? Cujus iram numinis
 32 hanc esse laesi existimem ?
 33 Nisi forte jure quicquid emerit coquus
 34 te jure credis vendere.

IN EANDEM.

I_4 v.1 Miniata labra, sordidae creta genae,
 2 hiatus oris indecens
 3 rictu canino, putridi dentes, pares
 4 mammas caprinis utribus,
 5 lacinosi gutturis diformitas,
 6 sulcique laterum pinguium,
 7 crassoque venter extumens abdomine,
 8 ego vos amavi ? Brachiis
 9 fovi, refovi que, et fatigavi meis
 10 viscata labra basiis ?
 11 Plebi lupanar prostitutum sordidae
 12 vocare amores pertuli ?
 13 O fraus, amorque, et mentis emotae furor,
 14 et impotentes impetus
 15 quo me abstulistis ? Vindices Erinnyes,
 16 quo vapulavi crimine
 17 vestrum ad tribunal ? Non enim Cupidinis
 18 dolui sagitta saucius :
 19 sed vestra adustus, vestra adustus lampade,
 20 furore vestro insanii.
 21 Ergo pudendis liberatus vinculis,
 22 meique juris redditus,
 23 sanctae Saluti sospitatrici meae
 24 et has catellas ferreas,
 25 monumenta duri servitii, et tabellulam

26 hanc sanitatis indicem
 27 per eam receptae, et memoris animi pignora
 28 dono, libensque dedico.

IN EANDEM.

I_5 v.1 Vindemiales feriae claudunt Scholas,
 2 juvenes penates patrios
 3 repetunt ; per urbem solitudo, in aedibus
 4 maestum silentium ; fores
 5 rarus cucullus obsidet tuas, sonat
 6 stridore raro janua.
 7 Quid ages, misella ? Saevientis inguinis
 8 pruriginem quis leniet ?
 9 Frustra angiportus, viculos, forum gravis
 10 lenone calatho dexteram
 11 perambulabis ; claustra frustra ad ostia
 12 spectans trahes suspiria,
 13 cum fervor imis aestuabit artubus,
 14 libidinosum cum jecur
 15 vis ulcerabit acris, impatiens morae
 16 cum flamma viva concitam
 17 aget per urbem ; qualis altis montibus
 18 matres equorum agit furor
 19 per saxa, et aspris invium rubis nemus,
 20 et imbre fluctus turgidos :
 21 qualis per Idam mugientum adulterum
 22 secuta Solis filia.
 23 Cum te furoris vis, pudore fortior,
 24 Leonora, sic raptaverit,
 25 tunc vero vicissim laetus adspiciam tuam
 26 securus animi insaniam,
 27 duraeque Amori vindici superbiae
 28 Nemesique solvam victimam.

AD RECTOREM SCHOLAE CONIMBRICAE MURSAM.

I_6 v.1 O domine Rector, Rex scholae Conimbricae,
 2 miramur omnes hic tuam potentiam.
 3 Beleago regni quantula est bellua tui,
 4 ut nil sub ejus subditum non sit pedes ?
 5 Nil ille manibus non avaris inquinet ?
 6 Capros, et hircos, suculas, oves, boves,
 7 et universa pecora mactat, venditat :
 8 volucresque caeli vendit, et pisces maris
 9 quicumque ponti semitas perambulant ;
 10 pepones, cucumeres, pruna, porros et nuces,
 11 Cosellianos quae per hortos germinant,
 12 coriandra, cepas, allium, nasturtium
 13 Samarcianos quae per hortos pullulant.
 14 O Domine Rector, Rex scholae Conimbricae,
 15 desideramus hic tuam prudentiam.

IN BELEAGONEM.

I_7 v.1 Huic, quem parentis colere debueras loco,
 2 Beleago, vivo spolia detrahere cupis,
 3 quod tu capellae non facis, nisi mortuae ;
 4 lanium sciebant esse te cuncti, gradum
 5 ur carnifex sis, inde paulatim facis,
 6 ne quaestus ullus non ferat lucrum tibi.
 7 Ur carnifex sis, artis auspiciam tuae
 8 aliunde malim feceris. Visne ut tibi
 9 dicam unde possis optime ? Ut si etiam parum
 10 ex arte facias, nil tamen peccaveris :
 11 suspende teipsum ; et si inepte id feceris,
 12 omnes probabunt, ceu foret factum optime.

IN EUNDEM.

I_8 v.1 Beleago, ut ipse testis est, si quid tamen
 2 firmum est, quod ille testis affirmaverit,
 3 de gente nullam contrahit Judae notam.
 4 Idem libellos, lectulos, et lintea,
 5 scabella, scamna, stragula, et tapetia
 6 vendit, revendit, quin et e medio luto
 7 collecta scruta vendit, atque interpolat.
 8 Lac, ova, pullos, allia, et cucurbitas,
 9 pepones, cucumeres, brassicam, lactuculas,
 10 positis ad omnes viculos custodiis,
 11 domi ut revendat carius, praeoccupat.
 12 Forique solus arbiter boarii est ;
 13 forique solus arbiter piscarii est ;
 14 forique solus arbiter olitorii est ;
 15 forique solus arbiter cupedinis ;
 16 forumque cunctis publicum magis foris
 17 res contrahentum conspicit semper domi.
 18 Piscator, olitor lanium, auceps, et coquus
 19 illo absque nullum contrahunt commercium,
 20 nec mula senio fracta, nec mulus tripes,
 21 nec asinus aeger, nec caballus morbidus
 22 venum sine illo poterit ire interprete.
 23 Cuncta unde possit confici pecunia
 24 vendit, revendit, praestinat, habet questui.
 25 Nec ullus opifex emptor est, aut venditor,
 26 merx, ars, negotium, unde levis odor lucri
 27 spirat, quod ille non sagax praesentiat,
 28 non antevortat, occupetque et devoret ;
 29 aut si id negatur, portiunculam tamen
 30 praerodat aliquam, solus et magnarius
 31 mercator, idem solus et scrutatius.
 32 Si quis tot artes tractat unus sordidas,
 33 hoc axe natus, gente nec judaeus est ;
 34 Beleago, dicam, has tractat artes sordidas,
 35 hoc axe natus, gente nec Judaeus est.

IN EUNDEM.

I_9 v.1 Beleago cunctas novit artes unice,
 2 has praeter unas, quas docet.
 3 Beleago cunctas tractat artes commode,
 4 has praeter unas, quas docet.
 5 Nec fenerator alter illo doctior,
 6 nec caupo quisquam argutior ;
 7 mango nec ullus morbidos peritius
 8 servos equosque adulterat ;
 9 nec in macello ponderum minutias
 10 sic lanius ullus exigit,
 11 lancem dolosam deprimitve cautius
 12 fractis adaugens ossibus ;
 13 Sephasianae nec tabernae lucrio
 14 interpolare astutior ;
 15 nec publicanus e propinquis quispiam
 16 ad omne lucrum astutior.
 17 Et inter artes sordidas monopolium
 18 (nam id laudo quod librarius)
 19 exercet, unus et veteramentarius,
 20 et unus est scrutarius,
 21 negotiator unus est magnarius,
 22 et, si Laverna faverit,
 23 ni fallor, unus esse volet aquarius,
 24 unusque latrinarius ;
 25 sector, coactor, quadruplator, institor,
 26 textorque, pictorque et coqus.
 27 Has tractat artes ille non incommode,
 28 has nempe didicit, et tenet :
 29 quas est professus se tenere non tenet,
 30 nec tractat artes, nec docet,
 31 nec scit docere, scire nec penitus studet.
 32 Sed olida convictoribus
 33 ut ponit hirci latera pro vervecibus,
 34 corvosque pro caponibus,
 35 picasque caveae mortuas in carcere
 36 pro phasianis suggerit :
 37 sic ille misero credit auditorio
 38 se facile posse imponere ;
 39 veterum Sophorum sic novis mendaciis
 40 adulterare dogmata.
 41 Cum syllogismi implicitus haeret retibus,
 42 nutatque, sudatque, et stupet.
 43 Dein ceu solutum si probe impudentia,
 44 quod peccat ignorantia,
 45 et ridet ipse, et ceteris est risui.
 46 Cur ergo quae nescit, docet ?
 47 Quae scit docere, non docet ? Mendacium
 48 quod prima ei sit artium.
 49 Adversus artis ejus ut "theoremata"
 50 ne peccat imprudentia,
 51 quae nescit, illa scire profitetur palam
 52 se : scire, quae scit, pernegat.

E GRAECO SIMONIDIS.

I_10 v.1 Primum seorsum a femina mentem Deus
 2 creavit : illa ex hispida setis sue,
 3 cui cuncta caeno foeda sordido domi
 4 humi supellex turpiter provolvitur.
 5 Illota et ipsa veste turpis, squalida
 6 pinguescit alto desidens in stercore.
 7 Aliam e scelesta vulpe formavit Deus,
 8 quae cuncta novit, nec boni quicquam aut mali
 9 ignorat ; hoc in genere plurimum boni
 10 inest, malique plurimum, ac saepe temere
 11 modo huc, modo illud flectit ira mobilis.
 12 Alia parentem moribus refert canem,
 13 maledicta, cuncta audire, cuncta cernere
 14 intenta, et acri cuncta figens lumine,
 15 passim errat ; et si neminem conspexerit,
 16 oblatrat ; hanc vir nec minis compescere
 17 queat, nec ira turgidus si excusserit
 18 ei silice dentes, nec suavi blandiens
 19 sermone, nec si sederat inter hospites :
 20 sed pertinaci jurgio incassum furit.
 21 Hanc fabricarunt terream Dii, inutile
 22 onus marito, nec boni quicquam aut mali
 23 quae norit ; unum id docta tantum gnaviter
 24 comesse, et algens bruma cum induxit nives,
 25 horrens, sedile propius ad focum admovet.
 26 Nunc animum ad illam verte, quae nata est mari :
 27 modo laeta totum gaudet ac ridet diem,
 28 ut hospes illam laudet intuens domi,
 29 nullamque juret feminam usquam gentium
 30 bonis honestisque hac priorem moribus.
 31 Alias nec ulli facilis adspici, neque
 32 patiens adiri propius, indomitum furit,
 33 ceu feta catulis accubans teneris canis,
 34 insuavis, aspra, tristis, ex aequo hostibus
 35 eadem atque amicis, instar instabilis freti,
 36 quod nunc per aestum leniter stratum jacet
 37 fluctu quieto, et gaudium nautis parit ;
 38 plerumque vasto saeviens sum murmure
 39 attollit undas. Illius plane refert
 40 quae nata ponto femina est, imaginem,
 41 ingenio, et ira, ceu fretum, mutabili.
 42 E cinere et asina exercita molestiis
 43 efficta, tandem vix coacta vi et minis,
 44 in officio erit, desidens in angulo
 45 noctem diemque se cibus ingurgitat,
 46 focumque sese propter etiam ingurgitat.
 47 Ad Veneris autem furta amicum quemlibet
 48 adventitantem suscipit promiscue.
 49 Mustela genuit aliud infelix genus
 50 miserumque, formae nulla cui sit gratia,
 51 inane amoris atque mansuetudinis ;
 52 et conjugalis negligens tori, viro
 53 praesente, acerbo nauseat fastidio.
 54 Furtisque multis noxia est vicinia,

55 necdum immolatis vescitur etiam sacris.
56 Aliam equa molli genuit exsultans juba ;
57 fugitans laboris et operum haec servilium est ;
58 nec admovebit aut molae manum, aut cribrum
59 tollet, domo nec efferet sordes, neque
60 furno assidebit, verita ne fuligine
61 contaminetur. Se coacta conjugii
62 simulat amicam bis quotidie, interim
63 ter abluit se, et spargit unguentis comam
64 densam per humeros fusa, flore verticem
65 umbrata, pulchrum ceteris spectaculum.
66 Miserum marito : ni tyrannus quispiam
67 sit, rexve, gaudens apparatu hujusmodi.
68 Haec e parente simia est, qua Jupiter
69 non tribuit homini pestilentius malum.
70 Haec singularis oris est deformitas.
71 Gradiens per urbem risui est passim omnibus ;
72 cervice circum vix caput flectit brevi,
73 depygis, arens osseis crura artubus.
74 O tale monstrum quisquis amplexu fovet,
75 miserum maritum ! Callet instar simiae
76 mentesque moresque omnium, nec solvere
77 risu ora curat, nec studet quicquam boni
78 facere ; sed unum id cogitat totum diem
79 secumque versat, arte qua tandem scelus
80 designet aliquod maxime nefarium.
81 Ex ape creatae conjugis felix vir est,
82 quae sola nulli crimini est obnoxia,
83 vitamque longam et floridam facit viro,
84 caroque cara consenescit conjugii,
85 fecunda pulchrae et splendidae propaginis,
86 interque cunctas feminas spectabilem
87 decore circum gratia ambit undique
88 divina ; segnes nec frequentat circulos,
89 ubi de venereis fabulantur feminae.
90 Tales mulieres Juppiter longe optimas,
91 et singulari praeditas prudentia,
92 praebet benignus et favens mortalibus.
93 At reliqua genera callido Jovis dolo
94 creata cuncta sunt, et apud homines manent ;
95 has nempe pestem Juppiter gravissimam
96 produxit, etiam ut ferre sit quid commodi
97 videantur, ipsum id sit marito incommodum.
98 Nec integrum umquam transfigit laetus diem,
99 qui cum muliere degit una ; nec famem
100 diram a familia contubernalem deum
101 hostem repellat facile. Cum vir maxime
102 animo videtur laetus, aut fato deum,
103 aut hominis ergo, tum reperta criminis
104 occasione comparat se proelio.
105 Nam sicubi aedes uxor ullas incolit,
106 numquam hospes hilare poterit illic excipi.
107 Quod si qua frugi existimetur maxime,
108 longe supra omnes illa damnosissima est,
109 nempe oscitante conjuge ; at vicinia
110 laetatur errore ejus, et nuptam ad suam

111 animum retorquens quisque laudat propriam,
 112 culpat alienam conjugem : cum ceteris
 113 nec esse parili forte nos cognoscimus.
 114 Nam maximum istud Juppiter genuit malum,
 115 vinclumque modo stinxit insolubili,
 116 unde explicavit Pluto morte plurimos,
 117 mulieris ergo conserentes dexteras.

E GRAECO EJUSDEM.

I_11 v.1 Penes tonantem est exitus rerum Jovem,
 2 fili, arbitrato cuncta qui gerit suo.
 3 At mens hominibus nulla momentaneis
 4 est, in diemque vivitur mortalibus,
 5 prout quidque numen singulis finiverit.
 6 Divina blandis interim spes somniis
 7 fovet universos vana volventes : diem
 8 exspectat iste crastinum, ille plurima
 9 messes ; nec ullus non sibi mortalium
 10 promittit hilaremque et opulentum proximum
 11 annum, sed alium tristis ante terminum
 12 mors occupavit ; morbus alium lugubris
 13 exstinguit, alios Martio in certamine
 14 domitos nigrantes Pluto mittit ad domos.
 15 Aliis procellis aestuantis aequoris
 16 jactans supremum claudit unda spiritum.
 17 Quos vita curis tristis exercet malis,
 18 hi lacrimosa ad fata rete nexili
 19 solis relinquunt sponte lumen. Sic mali
 20 immune nihil est, mille sed mortalibus
 21 Parcae minantur, ac inexplicabilis
 22 dolor et calamitas. Si mihi tribuant fidem,
 23 se nullus ultro cruciet indulgens malis,
 24 animum tenaci nec dolore exerceat.